

expectando, et haec dicens addidit : ita est vere, ita est, dixit, non ita celeriter in senatu adeo numeroso negotia expediri posse : scire adesse quam plurimos, qui ab aliis dissentiant : sperandum fore, si tempus detur, ut sanior pars reliquos in sententiam trahat : non esse adeo celerandum contra Rempublicam mille centum annorum, quae toties pro salute, pro sede apostolica, et ecclesia Dei cum periculo libertatis et imperii sanguinem suorum civium fudit : quare differendum adhuc aliquantisper ;<sup>3</sup> alliciendi, adiuvandi, suadendi, ut pareant, et interim consulendi doctores, qui videant diligenter et examinent, an quae a Venetis deducuntur, sint alicuius ponderis ; hoc etiam privatim a Sanct.<sup>te</sup> Sua rogasse, hoc idem modo expectare, sed quando ita Sanct.<sup>as</sup> Sua constituit, non posse, quod illi placeat, improbare. Tunc Sanct.<sup>as</sup> interlocutus est et dixit non suo proprio consilio fuisse contentum, audivisse multos homines doctos, quos diligenter examinasse et de eorum consilio omnia fecisse.

*Columna* dixit diuturnum satis tempus a Sanct.<sup>te</sup> sua fuisse Venetis datum, non esse diutius differendum, quin ecclesiastico gladio feriantur, cum adhuc in sua pervicatione persistent, cogendi ut pareant.

*Saulius* censuit non amplius expectandum, nec differendum, cum satis superq. fuerint expectati et auditi ; haec esse agenda forti pectore, caetera Deo relinquenda, de cujus re agitur.

*Pallotta* seu *Cosentinus* venit in sententiam Sanct.<sup>mi</sup>, indoluit vehementer quod in tam nobile membrum Reip.<sup>ce</sup> christianae seviendum esset, eum tamen faciendum sii ad aedificationem non ad destructionem, ad correctionem, non ad poenam, et ut vere fiant filii obedientiae et haec ad modum concione et breviter dixit verbis et auctoritatibus sacrae scripturae.

*Camerinus*. Certissimum est B. P. dominos temporales quacumque dignitate fulgentes etiam imperiali, nullam habere auctoritatem condendi leges, constitutiones et statuta et pragmaticas contra libertatem ecclesiasticam, nec etiam habere auctoritatem contra bona et contra personas carcerandi, puniendi, et non solum secundum canones, sed etiam secundum leges imperiales, et bene Sanctitas Sua dixit, et rationes qui possent afferri in eorum defensionem, sunt frivolae, immo calumniosae et propterea si non respiscunt, venio in sententiam Sanct.<sup>tis</sup> Suae.